

gentes, quæ erant ante Spegnimbergum, ut eo melius posset vincere loca. Cum quo Anderlino erant Civitatenſes Auſtrianales: in qua ſocietate erant ultra mille equites, & pedites multi, & fuerunt in Aquileja. Ibiſque robantes Eccleſiæ Sanctiſſimas figuras, & cruces. Apparuerunt ex hoc multa miracula. Nam quidam de Tulmino ferens reliquias ibi receptas, tota nocte equitavit putans iviſſe verſus domum, quia viam bene cognoſcebat, de mane reperit ſe eſſe ante portas Aquilejæ: & ſic reverſus ad altare, ibi eas reſpoſuit. Apparuit, quod quædam figura Virginis Mariæ, ſuper qua recepta fuerant ornamenta ejus, ſe inclinavit cum capite: & ſic hodie ſtat, ubi cum elevato capite ſtabat. Apparuit etiam, quod unus Conteſtabilis, qui Crucem unam in dicta Aquilegenſi Eccleſia receperat argenteam, quam ex ejus ſuperbia in Valvaſono habitans ſuper humeros ferebat, quod rabie captus illa infirmitate mortuus eſt. Apparuit, quod quidam Italicus, qui ſimiliter Crucem unam in Eccleſia prædicta argenteam receperat, ipſam vendidit, & emit equos, & ſe ipſum induit cum argento: qui habens ſeptem equos, vermis eos omnes equos, qui erant ſeptem, intrans; mortui ſunt: & ipſe poſt puſillum tempus mala morte clauſus eſt. Et publica vox & fama erat, quod Paduæ, Tarviſi, & in alienis Civitatibus multi, qui fuerunt ad derobationem ipſius Eccleſiæ, aut morte ſubitanea moriebantur, aut rabie, aut in divitiis pœnam patiebantur: & ſic vox erat aperta, quod ex peccato in ipſa Eccleſia commiſſo iſta divinitus eis occurrebant; & pro ipſo peccato Dominus Paduæ expulſus fuit, ut inferius deſcribetur, de omni ſua potentia.

Prædictus Anderlinus venit de ſupra Utinum, non dubitans, gentes Utinenſes..... Et ſuper aqua, nominata la Tor, poſitæ erant ipſæ gentes in Villis, prope quas illi de Utino habentes eorum exploratores foris, ſenſerunt ipſos nullam cuſtodiam habere de potentia Utinenſium. Et quia tempus erat multum pluviale, & aquæ magnæ; & erant prope Caſtrum Savorgnani, quod ipſi de Padua habebant in eorum potentia, & cuſtodia: in quo erant muli pedites, & bellicoſi homines, multum offendentibus Utinenſes, & alios circumſtantes; ideoque gentes iſtius Anderlini Trot in majori ſecuritate ſtabant in ipſis Villis. Tunc Utinenſes in capitaneum ipſarum gentium habebant quemdam Nobilem Comitem Theotonicum, nomine D. Conradum de..... hominem antiquum in armis multum, & expertem rationibus ordinem imponere Magiſtratum; intellectoque de inordinatis nobis retentis per ipſas gentes inimicorum, modum dedit & ordinem dandi eis conſiſtum. Quia invitis Utinenſibus, & Reſtore Venetiarum, omnes gentes Utinenſium, tam forenſes quam Terrigenæ, in equis & equabus portas Utini fecit exire: ipſorumque inimicos reperiens in domibus, eos invaſit; & finaliter die primo Octobris in præſcripto Milieſimo (a) eos debellavit. Et vix quod ipſe Anderlinus cum Civitatenſibus, tranſiens aquam nominatam la Tor, & cum aliquibus ſuis gentibus, Savorgnanum fugam rapuerunt. Et ſic ipſæ gentes iniquæ per partem Utinenſium fuerunt conſiſtæ ex peccato, ut dictum eſt, commiſſo contra ipſam Aquilegenſem Eccleſiam. In quo conſiſtu mortui ſunt & capti ultra quingentæ perſonæ. Et Utinenſes, qui multum in minori numero erant, redeuntes ad Civitatem Utini cum ingenti gaudio, & copioſis divitiis, equis, armis, arneſiſ, carceratis victoriam & triumphum lætabundum porrexerunt. Et ex ipſis gentibus in

transitu ipſius aquæ, quæ magna erat, non reſpicientes propter impetum inſultus, & nimium timorem, in ipſa aqua ſubmerſi ſunt.

Et cognito iſto novo iſtæ gentes, quæ erant ante Spegnimbergum, ob nimium timorem inducti, de mane relictis omnibus eorum domiciliis, gardicis in magna quantitate factis, lapidibus bombardarum fractis, fugam rapuerunt: & in campo panem, vinum, & alia victualia multa permiferunt, euntes verſus Sacilum. Et niſi fuerit conſiſtio prædicta data ipſis gentibus, dicti de Spegnimbergo in caſtrum firmiter ſe dediffent. Iſte Anderlinus Trot cum ſuis gentibus, quæ ei remanſerant, clandeſtine Tulmentum tranſitus eſt. Venit per ſub Valvaſonum, & hoſpitatus fuit in Cuſano; & venit cum aliis gentibus verſus montes, & venit ad damna Dominorum de Spegnimbergo ſuper Villam Sequaſi, & Sonibergi: caſque quod remanſerat, combuſſit. Exinde venit ante Caſtrum Maniaci; in Villa tamen, & ad plateam relictis equis deſcendentes, cum pluribus baliftreriis & arceriis Engleriis venerunt, currentes uſque ad bivium olim Antonii a Porta. Contra quos glomeroſa & laudabilis comitiva Nobilium Maniaci, videlicet D. Bartholomæus, Galvanus D. Baldaſſaris, & Odoricus quondam D. Nichili, conſanguinei & fratres, relictis D. Luchino prudenti & ſagaci ad cuſtodiam portæ Caſtri prædicti cum aliquibus ei deputatis, ad invaſionem prædictorum inimicorum hoſtiliter, ſagaciter, & potenter ſe extendentes, cum honorabili comitiva ſuorum fidelium vicinorum; ipſos inimicos, qui jam veniſſe præſenſerunt ad portam muri tegetum filiorum prædicti olim D. Nichili ſuper rivum, taliter cum gravi clamore ſuorum & bellicoſo inſultu invadentes, quod ipſi inimici, qui ad portas ipſius Caſtri veniſſe putabant, relictis eorum falſis cogitaminibus, coacti, & non voluntarie, terga dare noſtris, uſque ad bivium prædictum ſe reducentes. Ibiſque fuit conſiſtio inter partes ipſas gravis: modo una pars extendens ſe contra aliam, & altera prævalens aliam. Finaliter noſtri ferventi animo cum baliftreriis noſtris, arcubus, mazzafructis, frandegulis, lapidibus ipſos taliter inſeſtantes; quod abinde recedere ſunt coacti, eoſque ducere potenter uſque ad medium burgum, & ultra. Qui vero videntes noſtrorum potentiam prævalere, cum eorum Sagittariis equos ſuos aſcendentes, viliter receſſerunt a nobis.

Poſt hoc vero gentes Domini Paduæ poſitæ in locis ſuis, videlicet in Sacilo, Canipa, Aviano, Turri, Meduno, & Baſtia Montis-regalis, pedites & equites, nos de Maniaco ſæpiſſime inſultabant; ac in Valvaſono, in Portuſguario, in S. Vito, contra locum Cordevati, in quo Rodolphus quondam D. Vidoli de Faganea erat Capitaneus: qui Rodolphus potenter & bellicoſe multa fecit contra inimicos noſtræ partis cum ſua comitiva; ante quem locum ultra quinque vicibus inimici eoſ cum bombardis, & omnibus nocivis inſtrumentis eoſ inſultarunt, intrantes in foveas, & ſpaltos.....

Haſtenus Codex Camilli Manini. Quæ ſequuntur, idem Auſtor, Joannes Aylini filius, litteris conſignavit. Prodeunt vero ex Codice mutilo, quem propria Antonius Bellonus manu exaravit.

non ſolum ipſe, verumetiam ex ſua comitiva quamplures carcerati, vulnerati, & mortui remanſerunt: ſed ſui in juvamine ipſius eorum Domini ad terram proſtrati ipſum elevaverunt. Et ſic ipſi exiſtentibus in quadam domo Agnetis ſutricis, quidam juvenis Lom-

(a) Eodem ſcilicet anno 1387. Cod. Maniac. notat diem 11. Octobris.